

1492 qui pro patria mortem oppetiissent, Senatus decrevit, uti Damiani Mauri ejus classis præfecti, quæ prior bello Ferrariensi Padum flumen est ingreffa, hostium castellis aliquot in ripa fluminis vi captis, bellicis ex laboribus mortui, duabus filiis dotis nomine quadraginta auri libræ ex publica pecunia darentur: sacerdotii autem nomine, si ei vitæ se dederent, senæ libræ. Post dies paucos, cum esset nunciatum, Bajafetem regem classem & exercitum parare, Senatus consultum est factum, uti sexdecim triremes naves, alteraque navis oneraria magna reipublicæ quæ ad anchoras erat deligata, confestim ornarentur: altera quæ aquam non tetigerat, deduceretur, atque instrueretur. Sed eo tamen anno eis navibus respublica non est usa, classis exercitusque comparatione a Bajafete penitus intermissa.

*Quadrugin-
tavirale no-
rum confe-
lium.*

Neque multo post majorum comitorum lege, quam Lucas Pisanus consiliarius tulit, quadravitavirale judicium tertium duobus prioribus est additum. Nam sunt in urbe magistratus duo, quos appellare in civilibus actionibus licet: unum ab judicibus urbanis, alterum ab iis qui publice in oppida atque provincias ad jus dicendum mittuntur. Ii tamen ipsi per se magistratus nihil stant, nisi de minimis quibusdam rebus. sed ante eum diem ad alterum tantummodo eorum duorum judiciorum quadravitaviralem, quæ antiquitus sunt instituta, res ab aliis judicatas deducebant: illi sententias ferebant, quibus aut probarent, quæ deducebantur, aut rescinderent: eas ratas haberi oportebat. Alterum judicium vita necisque habet potestatem: aliusque ad eos judices magistratus causas defert. Illud igitur judicium quadranta virum ex duobus, apud quos ex provocationibus, quæ ad duos illos magistratus fiebant, disceptabatur, cum actionum & ~~ca~~arum multitudini non sufficeret, tertium simile ita ~~erit~~ institutum, ut veteri illi alteri ab urbanis judicibus, huic recenti & novo ab exteris interpositæ judicibus appellationes proponerentur. ea re provocantium querelis aditus, & juris persecutio duplo facilior & ex pli-